

INCOMPARABILES  
ANTIQUISSIMÆ ATq; FORTISSIMÆ  
SVEO-GOTHORVM  
GENTIS

PRÆROGATIVAS

IN

GUSTAVIANO, QVOD REVALIÆ EST,  
GYMNASIO,

CAL. JUL. A. M. DC. LXXIV. 1674


ad

Dni. Professoris ductum,  
CARMINE EPICO

venerari piè nitebar  
humillimus admirator,

Angelus Hartmannus,

Holmia Svecus.



REVALIÆ,  
TYPIS ADOLPHI SIMONIS.

SERENISSIMO ATq; POTEN-  
TISSIMO PRINCIPI  
AC DOMINO,  
DN.

C A R O L O,

SVECORUM, GOTHORUM, VANDA-  
LORUMq; REGI, MAGNO DUCI FINNLAN-  
DIÆ, DUCI SCANIÆ, ESTHONIÆ, LIVONIÆ,  
CARELIÆ, BREMÆ, VERDÆ, STETINI,  
POMERANIÆ, CASSUBIORUM ET VANDA-  
LORUM; PRINCIPI RUGIÆ, DOMINO  
INGRIÆ AC VISMARIÆ &c.

NEC NON

PALATINO RHENI, IN BAVARIA, JULIACI, CLI-  
VIÆ AC MONTIUM DUCI;

REGI AC DOMINO MEO SERENISSIMO,  
CLEMENTISSIMO.

SERENISSIME ATq; POTEN-  
TISSIME  
REX,

DOMINE CLEMENTISSIME,

Non ferant trepidæ tenebræ coruscantem MAJESTATIS TUÆ FULGOREM, nisi Eiusdem, Divinitati proxima, BENIGNITAS dioptram optabilem elargiatur. Hæc facit, ut & ego, subditorum devotissimorum ultimus, splendenti Sublimitatis fastigio propius arreperere, & ad MAJESTATIS TUÆ scabellum hanc ingenii vilioris molitiunculam deponere, inaudax, tamen audeam. Suscipe, SERENISSIME REX, irradiatq; salutari lumine inopem pietatem, ut absolutis auspiciatò studiis,

SERENISS<sup>æ</sup>. REG<sup>æ</sup>. MTI. T.

pro cupidissimo voto, humillimè,  
aternùm, serviam,  
Angelus Hartmannus.



**Q**UO me? MAGNIFICUM PRUDENTIA PECTORA PATRUM,  
QUEIS PATRIÆq; salus curæ, atq; Ecclesia cordi est:  
Et vos Castalio largè irrorata liquore  
CORCULA, GYMNASII RECTOR, celebresq; MAGISTRI:  
Et vos, sollicito insignes candore, TRIBUNI:  
Et vos, multigeno laudandi nomine, CIVES:  
Tuq; Cabalinos ducens non segniter haustus,  
QVO Pindum exsuperas, non aspernata sodalem  
In stadio tenuem, dilecta CORONA JUVENTÆ:  
Et vos suggestus, vos & subsellia; qvo me?  
QVO me? (destituunt animi, vox faucibus hæret,  
Genua labant;) qvò me pietatis protulit error?  
Mens erat in SVETICÆ præconia surgere GENTIS;  
Mens memorare VIROS, mens delibare TRIUMFOS,  
Et quæ se GOTHICI protenderit ora TROPÆI:  
QVAS vel condiderit, vel bello ceperit urbes,  
GENS una, & longo instaurârit limite gentes?  
Ipsa sibi, quamvis examina plura dedisset,  
Sufficiens; victrix, nullo superabilis ævo,  
Dum suffulciret junctas concordia vires;  
Bellatrix, nec pace minor, nec Palladis artem.  
Mens erat: & sanctos vitio quis verteret ausus?  
Adspice Romuleam subrecta ad pulpita pubem,  
Nunquam majorum laudes sine laude ferentem.  
Cantari virtus desiderat. at nisi vates  
Admittat parvos, ferme incantata manebit.  
Præstat opus dictis. Si certent scriptor & autor,  
Fortior indubiè palmam præceperit autor.  
Imparis ergo isthic se pangier ore vetabit?  
Ilicet. involvent tenebrosa silentia lucem;  
EX-q;-cident cedris viles spernentia chartas.  
Ipse DEUS, qvo nè majorem fingere possis,

Non solum angelicis in caelo tollitur hymnis,  
Verum & lallanti puerum non improbat ore:  
Simplicitasq; illi fucatas deprimat artes.

Hæc mihi mens dudum: sed jam sententia versa est,  
Detrectantq; humeri, quæ nullis viribus æquant.  
Hei mihi! Cur volui? Cur, quæ perferre nequiret,  
Accusanda dehinc, temeraria dextraprehendit?

Pandatenimverò creperum Caducifer orcum,  
Educatq; umbras omnes, cultosq; Poëtas,  
Historicosq; greges: frustra hîc genus omne micabit.  
Mæonides Musas totumq; Heliconacieto;  
Longior Iliacis scribatur nãnia nugis:

Arma virosq; iterum tentet, quem Mantua quondam  
Sevit, quem lauru donavit Tröius exul:

Herodotus doctas decies superato sorores:

Mellifluo tingat Xenophon nova scripta lepore:

Ingenium intendat magnum Patavinus Alumnus;

Multiplicetq; loqvax immensa volumina Trogus:

Fulminea eloqvii expediat veges arma Pericles,

Grandibus Arpinas concertet Tullius orsis:

Non tamen Historici, non agmina pallida Vatum,

Non Oratores numeris exponere possint;

Quantis emineat tua gloria, SVECIA factis?

Quàm magnis vastum titulis compleveris orbem?

Ergo remigiis nondum aptus carbasa tendam?

Aut ruidi temerè sumam moderamina clavi

Parvus ego, & ratibus tantum permetiar æqvor,

Quod malè formidant veterani in littore nautæ?

Ah liceat tenuem pavido subducere cymbam!

Jam mihi submergi, jam prora & puppe revulsis,  
Sidere vorticibus videor, novus Icarus, atris.

Nam veluti incidens ripam, & parva scrobe findens,

Prata rigaturus, vel pulcræ Chloridis hortos,

Aggereeque aggesto tentans deducere rivos,

Paulum

Paulum parentis lætatur lapsibus undæ:  
Mox, ubi vel rupta terra cavus alveus exiit,  
Vel pluvius rapidos effudit Jupiter imbres;  
Foetibus arboreis subitum, gratoq; labori,  
Exitium validè insurgit, superantibus undis;  
Impetibus penè ipse ferum contactus aquarum,  
Vix tandem in celsæ fastigia nititur ulmi,  
Et stolidæ luget ploranda incommoda fossæ:  
Sic ego adobruor immani rerum cataclysmo.

Ambiguus trepido, nec, quid fugiamve petamve,  
Invenio. Vos ô CARI succurrite PATRES!  
Propellat timidum vestri grata aura favoni,  
Qui secus in tumido titubat lembunculus alto:  
Provehite, & pavitantem, animisq; opibusq; juvate;  
Ut perq; horrores, perq; aspera saxa meando,  
Felix tentandi frangat discrimina ponti,  
Et læto incolumis religet prymnesia palo.

Grande opus aggredior, gnari ductoris egenum.  
Casca Lycea SCHOLÆ GOTHICÆ concedite mystam,  
Facunda lingua, sapienti pectore SCALDUM:  
Qui; (namq; illorum fuerant arbitria rerum  
Cunctarum, hi soliti patrio comprehendere rhythmum,  
Quò præsens ætas, quò postera secula nôssent,  
Quicquid militiæ atq; domi memorabile gestum;) )  
Qui per secretæ ducat vestigia Runæ:  
Qui me, non Latii phaleras, non Helladis artes,  
Non pigmentati mendacia frivola fuci,  
Sed veri nervos, atq; ardua facta VIRORUM,  
Historicâq; fide doceat compingere carmen.

Ergo diluvium, quod corpora vasta gigantum,  
Flagitio & mersum vesano absorbit orbem,  
Quâ patet, aut patuit, ponto circumfluis alto,  
Subsidens stiterat defessam in montibus arcam.

Prodierat

Prodierat picea tabula domus alma Noachi,  
Plantârat vites, terram renovârat aratro:  
Foecundæ tulerant compluria pignora matres,  
Et genus humanum numerofo creverat ortu:  
Sortitusq; bifrons capienda habitacula Noæus  
Iapeto Europam, Chamum fitientibus Afris  
Atribuens, dignato Asiatica tempea Semo.  
Jam, sed conjuncto, superârant, agmine Tigrim;  
Jam contendebant grandes attollere moles,  
Jam turrim ardebant cœlis inferre superbam:  
Cum subitò dirimi occipiunt commercia lingvæ,  
Et divisa suas faciunt idiomata gentes;  
Gentes diversas variæ sparguntur in oras.  
MAGOGUS GOTHICÆ SUBOLIS dignissimus AUTOR,  
Deserto Euphrate, Armenium transmittit Araxem,  
Et Tanaim, & quicquid Scythicos interjacet agros;  
Ante oras quàm Finnonicas intrare liceret,  
Vandaliciq; sinum pelagi tentare carinis;  
Scandicaq; amplecti primævis arva colonis;  
Longinqui & cursus optatam figere metam.  
Hic, licet arceret propior sua plaustra Bootes,  
Constituensq; lares, solidaq; in sede quiescens,  
MAGOGETHASq; GETHASq; suo de nomine duxit;  
Mascula quævis SVEONUM adjecit cognomina virtus.

Mirari hîc subeat: cur; cum spaciosa pateret  
Europe, atq; austris dubium propiora vocarent  
Climata, foeta solo, nullis infessa colonis,  
Egelidam anteferens tepidis regionibus ursam,  
Semotæ extremam telluris ceperit arcem?

Nimirum nullæ fiunt sine numine sortes,  
Hasq; sibi oblatas prudentia cauta gubernat.  
Vidit enimverò; (quid enim non viderit ille,  
Qui plenusq; fide, & flagrans pietatis avitæ  
Sectator, cari veritus pia jussa Parentis,

Conſilia in ſociam rexit bene nata ſalutem?)  
Vidit; diſpariter quævis, ubicunq; locorum  
Menſurâ æquali penſari luce tenebras,  
Per noctem atq; diem; æſtatem diſpendia brumæ  
Solari; & ſeras citò matureſcere meſſes:  
Frigora corporibus vegetum ſuperaddere robur,  
Nativiç; intus vires augere caloris:  
Neve animis tamen, ut ſubnaſcens fabula finxit,  
Ingeniorum aciem boreali hebetefcere cœlo:  
Cœrulea Thetide atq; exſtantibus æqvore PETRIS  
Incinctos, nullo tutandos milite, fines  
Ubera continuis meditullia claudere muris:  
Difficiliç; hoſtes aditu ſecernere; cives,  
In quæſcunq; velint, ratibus dimittere terras:  
Arvorum cultu cerealia farra venire;  
Silvas materiam domui, & præbere carinis,  
Et fatiare ſimul pingvi venabula cervo:  
Fuſile poſſe fodi ex prædivite monte metallum;  
Omnigenum naſſis promittere flumina piſcem;  
Vini defectum fruges ſupplere, favosç;  
Deniq; fluctivagis nîl unquam defore nautis.

Hæc, ſed plura tamen, cordato in pectore volvens,  
Dividua in parvis fixit magalia vicis,  
Quos poſt marmoreas ſtudium convertit in urbes.

Jura dedit, ſociæ retinacula prima ſalutis:  
Quæ dein Ericus, Dicenæus, Zentha, Zamolxis,  
Et plures, (quorum ſi nomina prendere coner,  
Compariter numerem montanas, PATRIA, pinus,  
Ac quæ te rigidas obvallant undiq; cautes;)  
Et declarârunt, & magnis amplificârunt  
Auctibus, & mori juſſerunt ponere metas.

Et jam multiplici proppagine SCANDIA turgens,  
Jam bifido SVEONUM atq; GOTHÛM clariffima regno,  
Quatenus Oceanum & Balthen protenditur inter,

Omnia conferto stipârat plena colono;  
Nec spatio poterat populos concludere vasto.  
Jam stolidâ impietas corruperat aurea fœdis  
Secula criminibus: crudæ de limite rixæ  
Surgebant: pacem turbaverat ardor habendi.  
Migrandum è Patria multis, ratibusq; petendæ  
Insulæ occasum versus; quæ tempore longo,  
Neve hoc invitæ, GOTHICA in ditione manebant:  
Donec Saxonibus oppressas HUMELUS armis  
Respiciens, primi regalia stemmata DANI  
Intulit, & NATI fecit DE NOMINE DANOS.

Interea SVEONUM nunquam non vivida virtus,  
Aucta viris, sociumq; opibus suffulta GOTHORUM;  
(Nam BERICO sceptris potiens utrisq; ligarat,  
Et combinârat, divisas antea, vires; )

Sat spectata domi, peregrinos ire per hostes  
Destinat, auspiciis felicibus, imperiumq;  
Cum famâ in longas armis extendere terras.

Quippe lacefferant toties ex littore bellis  
Adverso populi; Rugii & Slavonica plebes,  
Barbariesq; omnis longo contermina tractu.  
Hi nunquam justo sverant decernere bello:  
Verum ex insidiis occultas ducere prædas:  
Perfidiaq; sacræ temerabant fœdera pacis.  
His, nisi calcassent immania colla, videbant,  
Se fore perpetuæ, exigent quod fata! rapinæ.  
Quare succisa populantes abiete silvam,  
Classemq; ædificant, atq; ordine cuncta parati,  
Proviso & Patriæ, committunt carbasa ventis,  
Et borea Rugicas vectore feruntur ad oras.  
Primum hinc littoreis oritur pugna aspera arenis,  
Illis pro Patria, pro laude micantibus istis:  
Sed vincit tandem rigidum Bellona Gothorum:  
Terga fugæ obvertunt hostes, villasq; domusq;

Quin ipsas trepidis absumunt ignibus urbes;  
Atq; petunt rapidis adversam lintribus oram.  
Hæc sequitur victrix, agitante cupidine, classis,  
Exponitq; agmen, quod Vandala regna subegit,  
Quod SVEONUM titulis magmenta augusta reliquit.

Quam multa abruptis complector prælia verbis?  
Quam curta est magnos emensa decempeda campos?  
Sed properare jubet majorum copia rerum;  
Et mea debilitas longè est seqvioribus impar.

Jam GEPIDÆ abrupti; jam vis immensa Scytharum  
Exitium minitata GOTHO, fervebat in armis:  
Sed PHILIMERUS enim, collecto milite, pernix  
Aggreditur, ferroq; domat: quin, fulminis instar,  
Obvia cuncta ruit, fugat aut necat impiger, atq;  
Prætermissa olim Mæotidis arva revisit,  
Et Tanais ripa divisas fistit hamaxas.

Illius indomita successor mente Tanausus  
Dejicit & Pharium per vulnera justa Tyrannum;  
Æqvoraq; includit pugnaci Medica Partho.  
Hinc & Amazonidum lunatis agmina peltis,  
In bello toties animos egressa viriles.

Sed quò digreditur laxis incommoda gyris  
Clio? Quid pelagus nulli superabile tentat?  
Huc animum revoco. Imperitans manus altera Vendis  
Nava tuebatur fastigia celsa GOTHORUM,  
Arcebatq; novos veteresq; à finibus hostes:  
Quin, supplementis, quoties res poscere visa est,  
E Patriæ, cui tunc parebat, sedibus ultrò  
Consolidata, amplis ditionem accessibus auxit,  
Et quaqvaversum populos ac regna subegit.

Quisnam Europæi laudabitur angulus orbis,  
Quem non lustrarit, quem non devicerit acer  
Mente GOTHUS; gladiis torvus duraq; bipenni  
Cominus, & tentum longè metuendus ob arcum?

Huic

Huic GOTHÆ Thuringi natales debet in arvis  
Constituta, huic Dulgumnorum GOTTINGA sub oris,  
Inter & Helveticos clarissima SVEDIA pagos,  
Et libertatis, mutandi & nominis, autor.  
Hic olim GOTHICUM sociavit nomen ALANO,  
Et Pyrenaicos princeps fecit CATALAUNOS.  
Hoc genitum sese generosus jactat Iberus:  
Hoc duce terribiles semovit finibus Hunnos,  
Hoc est deformis purgata Hispania Mauri:  
Mauri, qui quondam captivo vincula collo  
Gesserat, & patrias, Libys ut socia arma tulisset,  
Æthiopesq; , GOTHÆ victus submiserat urbes.  
Nam quid Aquitanæ referam monumenta Tolosæ?  
Quid, dum res loquitur, Normannica castra notabo?  
Quid temerè Mœsi potabo fluentia Ciabri?  
Cur iterum Emathiam subigo, & confinia Thraces?  
Cur me detineat spernendis Illyris oris?  
Cum tellus clypeos abjecerit Itala fractos:  
Martia cum GOTHICIS gestetur ROMA TRIUMFIS?  
ROMA caput miris victi successibus orbis:  
ROMA GOTHIS cedens annorum mille rapinas:  
ROMA truci gladio flammaq; exhausta GOTHORUM:  
Vix apices tango, vix grandia nomina rerum;  
Et tamen ingenti langvens sub mole fatisco:  
Quid? Si magnidico complecti singula textu,  
Si justo Historias tentem conscribere versu?  
Nec me turbabit, si quis contenderit: isthinc  
Nullas reliquias, vestigia nulla videri:  
Jam pridem hæc nigris exstincta jacere sepulcris.  
Quis mihi Chaldæi monstrat capita aurea regni?  
Nonne refrixerunt crudi fera pectora Persæ?  
Jam pridem Emathii vomuere cibaria ventres.  
Annon Romuleum torpet rubigine ferrum?  
Nonne labant lutea vinctæ compagine calces?

Et

Et tamen illorum celebratur fama per orbem:  
Et tamen illorum metimur tempora seclis:  
Nec, licet in tumulis putreant simul arma viriq;  
Vivida succubuit factorum gloria leto.

Quid? Nostri SVEONES non ardua pectora tollunt?  
Non forti titulos ATAVORUM Marte tuentur?  
Nonne GOTHUS vivit GERMANO in semine? Nonne  
ITALICI sese proceres hoc sanguine cretos  
Jactant? Non SVETICUM GENUS est LOMBARDICA PUBES?  
Non primæva suis præbet plena ubera natis  
Scandia? Non animat, peregrini nescia alumni?

Imperii instaurat Romani rudera TEUTO,  
Ausoniæq; exfors titulos usurpat honores:  
Sola virescenti, contra fas, SVEDIA lauru,  
Quam tamen & PROLES meruere, & PATRIA VIRTUS,  
Privata, haud referet partarum encomia laudum?

Hæc est, quæ primos æquans ætate Monarchas,  
Regali fulgens folio inconcussa remansit;  
Triste licet streperus ventorum emiserit agmen  
Æolus; ut toties surrexerit unda procellis  
Impetuosa, ratem submergere nixa virosq;:  
Quæ, (MODÒ CONFIRMET PLACIDUM LÆTA OMINA COELUM!  
ET NOSTRIS, SPERO, FACIET PENITRABILE VOTIS!)  
Nunquam frangendum moderabitur incluta clavum,  
Horrida hyperboreum dum verrent cetea pontum;  
Dum dissolvendi perstabit machina mundi.

Namq; ut jam PATRIOS recolat pia Musa PENATES  
Ut magna in parvos cogat dispendia gyros:  
Sæpe domi SVEONES peregrino Marte petiti,  
Perfidia focium concussi sæpè, tyrannum  
Sæpe attrectati tentamine, sæpe periculis  
Pestiferis cincti, dirarum & turbine rerum;  
Non tamen & animis fracti, formidine scutum  
Dimiserunt, quin libertatem nece caram

Rite præoptata furioso Marte tenerent,  
Jussaq; respuerent fortes exotica legis  
Invisæ. Non hos tentavit Græcia: non his  
Injecere unquam Romani frena propinqui.  
Ut prensarentur, variaret ut alea belli,  
Ut semper fremeret vicinia cruda sub armis:

(Cerne SVEO-GOTHICÆ MIRACULA maxima STIRPIS;  
QVAM, QVI TUM TUITUS, SEROS DEFENDAT IN ANNOS!)

Nullius SVEONAS contra profecit Enyo,  
Nullius folio movere nec arma, nec astus;  
Ut non splenduerint propriis in secula sceptris,  
Ut non protulerint aucti pomœria regni.

Non mihi consilium per singula facta meando,  
HEROAS lauru præcingere Daphnide FRONTES.

Non opis hoc parvæ! nec vilis homuncio præstet,

Qvæ tot nequicquam tentârunt secula vates.

Fas mihi sit tenui tantum deducere filo:

Qvales succerit quondam SVECANA per artes?

Qvalibus innitens duret RESPUBLICA fulcris?

(Qvamquam quid nimio surgam promissor hiatu?)

Immensa fas sit paucas decerpere spicas

Messe, atq; Oceanum parva exantlare sitella.

Qvi trutina librat memori miranda SVETORUM

Belli facta; truces prægrandi mole gigantes,

Innumerabilibus coacervata agmina turmis,

Concipit, ingentes gazas, perterricrepa arma;

Qvicquid & auditu mortalia pectora qvassat.

At contra historiæ, & series certissima rerum,  
Nil horum insolitum, nil non moderabile monstrant.

Nam licet ARGIRI, licet ostententur ATHERI;

Ut GENS luxuriet validis SVECANA lacertis

Plerumq;, ut cunctum non enarranda per orbem

Prælia conferto pugnax Mavorte patrârit;

Ut variis dederit fastigia lucida regnis;

Scandiaq; audierit quondam vagina virorum:  
Ut SVETICOS opulens ditet nutrix Jovis AGROS:  
Ut creber pridem, clavis sudibusq; relictis,  
Accingi gladiis, lorica intexere corpus,  
Atq; halbarduchis pugnare ostenderit usus;  
Ut quondam Gothicum sit formidabile cestrum,  
Ut testudineo prostrârint ariete muros:  
Ut tormenta hodie timeantur Svedica castris,  
Tormenta attactu certam molita ruinam,  
Tormenta ignivomo fulmen jaculata canali,  
Et quibus Æoliden Salmonea vincimus ipsum,  
Et quorum Ætnæus tremefiat fulgure Brontes.  
Letifero ut tumeant armamentaria pilo,  
Fusilibusq; adstet conflatus siphon metallis:  
Castella ut Neræi vectentur lignea tergo,  
Quantus nec Taurus, neve Ossa, aut Pelion exstat:  
Castella arvicremo, abscedas! æqvanda Veservo,  
Atq; calefacienti undas Islandidas Heclæ,  
Hinc se Tænariis exsertat Cerberus antris,  
Et letum trifida proflans ex fauce tremendum,  
Tartareum rabidus, quæ contigit, urget in orcum.  
Ut cuncta hæc adsint, atq; hosti fervida certent:  
Non tamen & tantos potuere parare triumphos,  
Quantis se SVEONUM subrexit ad æthera virtus.  
Adspice quadratos pingventi corpore Moschos.  
Quàm sese altigradi tollit statura Poloni?  
Et tamen hos. Sed quid nequicquam ingrata revolvo?  
Nec numero SVEONES, nec vasto robore freti,  
Ambigua incerti subeunt discrimina Martis.  
Nupera suppeditent jungenda exempla vetustis,  
Quæis, quàm parva manus conciderit agmina, constet  
Maxima: quàm ruidum contemnat SVEDIA vulgus,  
Quamq; parùm infestas vereantur PHENNONES harpas:  
Nî vestra angustos figat patientia fines;

Ni fessi ad metæ suspirent septa caballi.

Et SVETIÆ Marathon, sunt & tibi, SCANDIA, claræ  
Thermopylæ, Salamisq; & palmâ nobilis Iffus.

Nec segmentata solita es procedere palla,

Cum Bellona vocat. Ferrum hîc præponitur auro;

Auro, cûi Macedo succumbere cuncta putabat:

Cûi sed enim solum nescit succumbere FERRUM

SVEDIACUM, è patriis ubertim fossile venis.

Hoc armantur equi, vis hoc invicta Virorum;

Hoc galeæ, hoc hastæ, hoc frameæ cuduntur acutæ:

Hoc uno SVETICOS Steropes exornat ACHILLES.

Sed quid. Num brutum dat niceteria ferrum?

An partes capiunt nuda instrumenta magistras,

Judice me? Nunquam hæc temeret persuasio mentem!

Majores longè concessæ cœlitus artes,

Quarum præsidio res stat Svecana vigetq;.

Hamatis timidos thoracibus indue cervos,

Casside conde caput, vibretur lancea dextræ;

Terga tamen vertent, acri veniente Molosso.

Bellacem murus nè reddet aheneus illum,

Cûi sunt congenito præcordia lassa timore.

Ignito gaudent aquilini obvertere Phœbo,

Dum vix sunt ovis exclusi, lumina pulli.

Ferrea confringunt animosi claustra leones,

Sanguineoq; ruunt armatos ore per hostes:

Ardua perrumpunt, sed parva pericula spernunt:

Nec movet alcæam, si quis sit vilior hostis.

Ecce leoninam generoso pectore Prolem:

HEROAM GENTEM, SVEONAS mirare superbos.

Cum Mars increpitat, cum classica sæva canuntur,

Fervida stipatis educunt agmina turmis:

Nullius quatitur gelida formidine corpus,

Omnibus idem ardor mentis, densusq; viro vir

Hæret, & attingit conjuncto crure sodalem.

Non

Non ita clavatae spissa compagine naves;  
Cum mare consurgit, cum detonat Æolus undis,  
Lux intercipitur, cæcis micat ignibus æther,  
Et scopuli allidunt immani tergoe proram;  
Obnixæ impetibus, tabulatis æqvora costis  
Vi prohibent, superantq; ingentes objice fluctus:  
Ut SVECANA ACIES cupidè per saxa per ignes,  
Per varias leti formas, per mille phalanges,  
Eminet, & volitans hostilia spicula calcat.

Nempe adigit celerem sententia fortis AVORUM:  
Turpius esse nihil, quàm signum prodere, quamq;  
Plorandum amissis admittere dedecus armis,  
Dum tenuis vitæ superest in pectore motus:  
Pro patriæ augmento dulcissima fata subiri:  
Non sentire animas nigram, cum corpore, mortem,  
Sed patribus socias æternâ pace fruisi,  
Lætariq; alacres bifidarum præmia laudum.

Hæc animos stimulant, (quamquam meliora videmus  
Christicolæ,) stimulant tamen & calcaria subdunt,  
Ut parvi fiant fluxæ dispendia lucis.

Qui tali est animo, ridens hostile pererrat  
Agmen, & urgentis discriminis immemor exstat:  
Quoq; minùs metuit, tanto mage provida sospes  
Arma gerit, perimens felici strage duellum.

Fulmineâ pugnant animosi cuspide SVEDI,  
Dum dubitanda parem librat fortuna bilancem,  
Dum pars adversis intentat vulnera telis,  
Dum statim creperi fervunt certamina belli:  
Mox ubi pugnantùm rabies furiosa remisit;  
Cum pudor infirmis ancilia ponere mandat;  
Cum vexilliferi convolvunt vela, manusq;  
Vitam orans vinclis hostis porrexit inermes:  
Cum sera extortæ quærentur foedera pacis:  
Bellatrix justas virtus moderatur habenas,

Delicti veniam promptè largita superbis:  
Ut sit pertasum plures movisse duellum,  
Quàm flexam obsequiis cervicem dedere, quamq;  
Lenia SVEDORUM servandos iussa vereri.

Nec licet interea, dum bellum flebile flagrat,  
Infestare vias, aut divexare colonos.  
Mercatus florent, Cerealia farra seruntur;  
Nec quisquam est hostis, nisi, qui se fecit in armis.

Hinc, (non diffiteor;) nostris annona stativis:  
Vicini vectant vili venalia numo;  
Suppeditatq; frequens facilis scriptura tributum.  
Vera hæc: sed potior clementia talia svadet,  
Ac, sub Marte etiam, sancti custodia recti.

Talibus eluxit documentis cana vetustas:  
Hoc olim monuit DUPLEX INSIGNE GOTHORUM:  
Alis intorti bello trux forma Draconis:  
Mitis at Agnellus redivivæ tempore pacis.

Nimirum pugnis debetur strenuus ardor,  
Et curæ vigiles, & parcere nescia virtus:  
Cum toga depositis candescens sumitur armis,  
Fas exesse iras, odiiq; exempla cruenti.

Sic ergo in SVETICIS divarum maxima castris,  
Irene, Martis propter, tentoria figit.

Quid mirum Indibilis posita si suscipit ulna  
Pronus Scipiaden? Si cedunt moribus arma?  
Si facit invictum docta indulgentia Cyrum?

Præsertim DUCIBUS PIETAS cum MILITIS adsit?  
Cum vivo exemplo potius, quam lege regatur?

Hic non è ganeis, postquam patrimonia mollem  
Deferuère, venit, luxus meditamine tractus  
Impuni, & sceleris, quo pleraq; castra replentur:  
Sed tempestitiva è pagis indagine lectus,  
Firmo compactus membrorum & robore fultus;  
Sub sole & pluviis curvo induratus aratro:

(Tales

(Tales Fabricii, Tulli, Curiiq; fuerunt,  
Qvi parvæ magni evexêre mapalia Romæ.)  
Ipsa hunc frugalem ruris penuria fecit:  
Huic crinem scripto votiva novacula tondet:  
Hic sicut pueri in ludis elementa docentur,  
In tirociniis sudat, rectore Tribuno,  
Et cauta innocuæ tentat præludia pugnæ:  
Neve alternanti detrectat vomere terram  
Scindere, callosis nectollere tribula palmis.  
Sic mala luxuries, & noxia probra domantur,  
Et sano vegetæ perstant in corpore vires.  
Tales non æstus metuunt, non frigora brumæ,  
Non macram esuriem, non obvia pocula fontis.  
Fossas educunt, instaurant cespite vallum:  
Horum opera cæcis exire cuniculus antris,  
His celer ad pluteos exsurgere vinea sœvit.  
Atq; hi cum tanti, tamen immortale genus sunt:  
Nam rata substituunt altos plantaria foetus  
Confectis senio, vel belli forte peremptis,  
Suppletura novo tenues tirone maniplos.  
Sic nunquam deficit pernix ad prælia miles,  
Sed disciplinæ laudato in carcere currens.

Nam qvî illum capiat scelus aut lasciva voluptas,  
Torpida qvi nunquam dispensans tempora fallit?  
Qvi galeam polit, aut displodens sulfure sclopum  
Nitrato, aut longis vibrans hastilia contis,  
Ad numerum, serie nîl exerrante movetur.  
Cui facilis præbet saturando prandia victus,  
Et torus est terra, & coelum laqvearia pensat.  
Non hunc supplicium cohibet, non probra catastæ,  
Sed consuetudo recti, sed clara laboris  
Præmia, neve locus cuiquam præclusus honorum.

Vah! seqviora lego, qvâ se vis parva pusilli  
Ingeniû extendit. Sed Vos ignoscite, qvæso,

DUCTORES

DUCTORES SÜETICI, fortissima pectora, quòd non  
Laudes, quo par est, vestras attollo cothurno.

Non pietas desit, siquidem Polyhymnia vires  
Suppeditet. Nam Vos meritorum divite luxu  
Marcellis putidum Latiis, Fabiisq; , pudorem  
Incutitis; celso rutilum Vos vertice cœlum  
Tangitis, & Clarii superâstis carmina Phœbi.

Non vos Pæonius ligno concludet Epeus:  
Non vos Æsonidæ portabit Iasonis Argo.  
Succumbet vobis divini Musa Maronis,  
Iliadesq; decem decies, frustrantibus orsis,  
Tentabunt temerè vestrarum encomia rerum.

Per vestram potius veniam cimelia promo,  
Quæ nec Pactolus, nec prægnans India gemmis,  
Nec Peruvicæ redimant segmenta Potossæ.

Dum Romæ Augustus placidas moderatur habenas,  
Ancipitem clauso componens limine Janum,  
Nascitur horrida merso caligine mundo,  
AUGUSTUS PACIS PRINCEPS, OPTABILE LUMEN:

Sed vix stramineas cedunt præsepia cunas,  
Cui terræq; solum debetur, & arduus æther,  
Et quicquid gremio utriusq; includitur amplo.

Dum SVETIAM AUGUSTUS GUSTAVUS temperat, actis  
Bellorum damnis, sævaq; tyrannide longè;  
Consurgit nitidus boreali Phosphorus ortu:

LUX EVANGELII, MAGNO PURGATA LUTHERO,  
SANCTA AUGUSTÆI RESTAURAT GAUDIA SECLI:  
Verùm & suscipitur fervente cupidinis æstu,  
Inq; hunc usq; diem stabili retinetur amore.

Scilicet ante diu Stygii laniatus Odini,  
Et Thorus infelix, & vanæ sÿrmata Frejæ,  
Tanfana & reliquæ, fanatica numina, turbæ,  
Unde & prodierant, latitabant faucibus orci.

Egerat

Egerat hos illuc devoti cura BERONIS,  
PRÆCONESq; pii, & SACRI VIS ENTHEA VERBI:  
Attamen interea, per secula plura, Latini  
Pontificis fraudes, & non toleranda potestas,  
Vera obscurârant, cudebant falsa, (nefandum!)  
Dummodò congererent barathrosæ foenora bursæ.

AUGUSTUS SVETIÆ GUSTAVUS talia, (postquam  
Salvificum cupido concepit pectore dogma  
Ipse, atq; ex Aula disjecit lurida;) vidit:  
Vidit & indoluit: Non distulit ergo medelam,  
Sed rata, pro paleis, suffecit pabula, MANDANS  
NECTAR ET AMBROSIAM, DIVINI ORACULA VERBI,  
APPONI CASTE, ATQ; ANIMAS, LUDIBRIA PRÆTER,  
INq; FIDE, AD COELOS, ET SANCTO MORE PARARI.  
Exhinc RELLIGIO viget INTEMERATA SVETORUM  
In REGNIS, nocuo florens sine schismate pravæ  
Hæreseos, socians mortales rite Deumq;.

Hæc secum traxit, deserta ex Hellade, Pindum,  
Et Stoan, & docti sapiens meletema Lycei;  
Et Themidi statuit cathedram, atq; Machaonis arti:  
Et Solymæ Romam totasq; jugavit Athenas.

Quippe auro fulgur polionis limula reddit:  
Cultas est dominæ fas apparere ministras:  
Absq; satellitio non visit publica Princeps.  
Ipsa hæc Herculeo concordia pectora nodo  
Colligat, ipsa animos vinclis stringentibus arctat;  
Neve equus insultet, neve optet ephippia taurus,  
Hæc PROCERUM inclinat PLEBI proclivis AMOREM,  
Hæc fida obseqvii constantis copula Plebi.

Ipsa eadem oppositus laterum pro REGIBUS offert  
In bello, & pacis substernit tempore palmas.

Nec timor applicat hic malefidus frena suasor;  
Sed pietas stimulos verorum subdit amorum,  
Et modò non dio veneratur honore MONARCHAS.

Nempe ut Phœbeos ductus nitida astra sequuntur,  
Adspectusq; suos pro principe lumine mutant;  
Et stabili vastos obvolvunt ordine coelos:  
Sic cuncta harmonico concertans SVEDIA cursu,  
Inter crescentis famæ pietatis & axem,  
Officii in gyris, REGALI SPONTE, movetur.

Mirum? Non trabæ, nec Iaspide virga coruscans  
SECRETOS POPULO REGES fastigiat. Una hîc  
Terrigenas inter virtus cœlestibus infert.

HAC JUBAR INGENTIS GUSTAVI ELUXIT, ET OMNEM  
COMPLEVIT QVAQVAVERSUM SPLENDORIBUS ORBEM.

SIC SE MAGNANIMAM CAROLORUM GLORIA STELLIS  
INSERIT, ET CUNCTUM MANSURA PERENNAT IN ÆVUM.

Nec mihi GUSTAVUS, VERO COGNOMINE MAGNUS;  
TEUTONIÆ ALICDES, TIBI VERO, ECCLESIA, PERSEUS;  
NAM LATIUM SVETICA STRAVIT SICELICE DRACONEM:  
EVHYUS IN PUGNAS, SACRATO SANGVINE MARTYR,  
SUBMISSA SEMPER NARRANDUS MENTE, canetur.

Amens est, quisquis captum superantia motat,  
Atq; giganteo nanus velatur amictu.

Perfarum soli victor pingendus Apelli,  
Nec nisi Lysippi rigida signandus amussi.

Vos, ô vos, SVETICI, (nam vos Grynæus Apollo  
Erudiens docuit cœleste melisma;) POËTÆ,  
Cingimini lauru, sacrosq; capeffite thyrsos;  
QVANTAq; MAJESTAS AUTORUM, condite carmen:  
Carmen Aristarcho haud reprobum, vel iudice Momo.

Me pudor abjectat pavidum, svadetq; silere.

Vestrum est, QVEM PATRIÆ LONGUM CLEMENTIA COELI  
SOSPITET, ET GRATÆ TRANQVILLET MUNERE PACIS!  
SIN BELLA IMMINEANT, SUMENDIS GRANDIAT ARMIS!  
QVEM NON TRAJANI AUT AURELI NOMINE FINGAT;  
SED PER DIVORUM VESTIGIA DUCAT AVORUM,  
TUTOREM FIDEL, VERÆ PIETATIS ASYLON;  
PAUPERIS ALTOREM CLIUS, ET JURIS ATLANTEM!

DELI-

DELICIIIS SECLI CAROLO CONSURGERE REGI,  
QVODq; PREMIT SOLIO, MAGMENTA AUGUSTA PRECARI,  
QVAq; SUPERGREDITUR GENEROSI PECTORIS ARDOR  
ET VOTA ATq; HUMILEM MENTEM, VIRIDANTIBUS ANNIS,  
VIRTUTEM ÆTERNÆ, QVÒ TEMPORA CANA STUPEScant,  
SOLENNES INTER PLAUSUS, SUPERADDERE FAMÆ.

En! ego succumbo. Liceat finire soventi:  
UT, CUJUS GRÁTANS CREVIT CUNABULA BELUS,  
CUI, cum de priscis vix restent nomina Regnis,  
TUTANDÆ CLEMENS FATOFIM CURA PEPERCIT:  
CUJUS TAM LONGIS SOLIDATA EST GLORIA SECLIS;  
ADMUNDI METAS FLORESCAT SVEDIA!

*Disci.*

---

Ornatiss. Juveni ANGELO HARTMANNO

Gymn. Reval. hæctenus Discipulo morigero  
& industrio, Holmiam nunc abeuntis;

**L**Audo tuos, HARTMANNE, ausus, de Gente SVEONUM  
Invictâ, Latiâ dum metra Voce canis,  
Non vanus Labor hic, nec Laus hinc vana refurgit;  
Tu modò perge alacer Sedulitate tuâ,

Sit Via *dura* licèt Virtutis, & Artis amara  
Radix, at Fructus *dulcior* inde meat.

Nomine sis igitur durus, jucundus at idem; \* (\* Engel-Hart-Mann.)  
Dummodo *Vir* audis *durus* & *Angelicus*,

*Fausa* Acclamat. E. cum Voto feliciss. itin. & Optim.  
in Studiis Successuum adfecit,

M. Joachimus Saleman/

P. ad D. Olai & Superint. Reval.

---

**I**Nclya SVECORUM dum carmine facta recenset,  
Laudibus atqve piis cœlica ad astra vehis,  
HARTMANNE, ingenium miror, Musamq; disertam,  
Qvæ violas vernas atqve rosas loquitur.  
Maçte piis cœptis, sic largos patria qvondam  
Fructus, pro studiis ac pietate, dabit.

*Ævlogædicas! in honorem Hartmanni suæ  
fecit,*

M. Gottfried Stecher/

Revaliæ ad D. Nicolai Pastor,

Ad

Ad  
Ornatissimum Juvenem,  
**ANGELUM HARTMANNUM,**  
Bonæ Mentis, elegantiq; Literaturæ studiosissimum,  
Auditorem hactenus suum exoptatissimum.

**N**on stulta Memphis, non, quod efferunt  
pane  
Ad astra Cares, Ara nec frequens cornu,  
HARTMANNE, victam copiam tibi fandi  
Ministrat; Urbis nulla pegmata hic; falsa  
Antiquitatis probra nulla; SVECORUM  
Sed illa spirans, illa gentis Arctoa  
Virtus, Enyo millies triumphalis,  
Ad quam stupefcit Thetys ultima & Tellus.  
Hic ora solvis, atq; rebus aternis,  
Epos disertum commodas venustumq;:

Qualis quaternos nuper Ingeni fetus,  
Auctore me, doctum faventibus Linguis,  
Solutori oratione vulgasti.  
Hac laude, NOSTER, macte, quæq; common-  
strant  
Secunda Fata, quæq; CAROLUS, REGUM  
Splendor, Stuporq; seculi renascentis  
Statorq; Liberalium Arrium & Corclum,  
(GUSTAVIANIS ô perennitet Musis!)  
De Regiâ benignitate condicit,  
Merere porro & inde præmia expecta!  
f. cum solenni voto

Johan. Henr. Ladovius,  
In Gustaviano, quod Revaliæ est,  
Gymnasio, Eloq. & Hist. Prof.

Ad Politissimum A. Hartmannum.

**C**um polluta manus, cum mens mala corripit aras,  
Aversum placat nulla hecatomba DEUM:  
Sin pietas adeat, vel victima parva litabit,  
Et dives vot, m pauper acerra feret.  
Subseqva magnanimos & deratur semita motus:  
Heroes veri NUMINIS instar habent.  
Fide. licet tenuis cantes encomia præco,  
Et vires supra nobile surgat opus;  
Non tamen ALTA humiles despectat SVEDIA nisus:  
Quod desit, supplet; quod meditare, probat,  
Nempe supergressa cunctum Pimplaidos ausum,  
Nulla satisfacient carmina, nullus honos.  
Primitias modò fer; quas si bona fata secundant,  
Uberiore dehinc spargito semen agro:  
Ut possis, (si cui datur hoc,) ex asse probari.  
O CELSIS liceat complacuisse THRONIS!

suam, Optimiq; Juvenis, imbecillitatem  
humillimè deprecans, vovebat,

Johannes Horniceus,  
Poëscos Professor.

**A**ude aliquid: namq; audendum est, si fer-  
re brabeum  
Discupas. Ausus adjuvat ipse DEUS.  
Ausus & HARTMANNUS noster potare liquore  
Castalio pectus, cui benè cessit opus:  
Nam. Sophiæ in stadio studiis certavit anhelis,  
Neve opus ardenti subdere calcar erat.

Jam, quia par alibi vel major gloria nusquam  
est,  
Audet de SVECA pangere GENTE melos.  
Obstupuit Livor malefannus, & undiq; torsit  
Spicula: at incassum telaretusa cadunt.  
Hoc Virtutis opus! Sic pergas; certa beabunt  
Gaudia Fautores, teq; manebit honor.  
Lectissimo Affini lubens scripsit,

Michæel Güntherus,  
Collega Gymn. Reval,

